





Prot. N. 00945/2025-132/25/I

DECRETUM

PAENITENTIARIA APOSTOLICA, ad augendam fidelium religionem animarumque salutem, vi facultatum sibi specialissimo modo a Sanctissimo in Christo Patre et Domino Nostro, Domino Francisco Divina Providentia Papa tributarum, attentis precibus nuper allatis ab Exc.mo Domino Bertramo Ioanne Meier, Episcopo Augustano Vindelicorum, in ducentesimo anniversario ex quo ampliata est Beatae Mariae Virginis Perdolentis ecclesia de "Pobenhausen", praefatae Dioeceseos, de immensa Dei misericordia caelestibusque Ecclesiae thesauris benigne concedit plenariam Indulgentiam, suetis sub condicionibus (sacramentali Confessione, eucharistica Communionem et orationem ad mentem Summi Pontificis) a christifidelibus vere paenitentibus atque caritate compulsis, a die I Maii MMXXV usque ad diem I Maii MMXXVI lucrandam, quam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicare possint si, sociato corde cum spiritalibus finibus Iubilaei Ordinarii anni MMXXV, Beatae Mariae Virginis Perdolentis ecclesiam de "Pobenhausen" in forma peregrinationis inviserint et ibi iubilare ritibus devote interfuerint, vel saltem per congruum temporis spatium piis vacaverint considerationibus, concludendis Oratione Dominica, Symbolo Fidei atque invocationibus Domini Nostri Iesu Christi Crucifixi atque Beatae Mariae Virginis Perdolentis.

Senes, infirmi necnon eos curantes omnesque qui gravi causa domo exire nequeunt, pariter plenariam consequi poterunt Indulgentiam, concepta detestatione cuiusque peccati et intentione praestandi, ubi primum licuerit, tres consuetas condiciones, si iubilare celebrationibus se spiritaliter adiunxerint, precibus doloribusque suis vel incommodis propriae vitae misericordiae Deo oblatis.

Quo igitur accessus, ad divinam veniam per Ecclesiae claves consequendam, facilius pro pastoralis caritate evadat, haec Paenitentia enixe rogat ut sacerdotes opportunis facultatibus ad confessiones excipiendas praediti, prompto, generoso et misericordiae animo, celebrationi Paenitentiae sese praebeant.

Praesenti pro hac vice tantum valituro. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae, ex aedibus Paenitentiae Apostolicae, die XX mensis Aprilis, Dominica Paschae in Resurrectione Domini, anno Dominicae Incarnationis MMXXV.

De mandato Em.mi
+ Christophorus Iosephus Nydler
Episcopus Tit. Velieuris, Reperens

Inde regem
Officialis